



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Chronicon Monasterii Bödecensis Ordinis Canonic. Regul.
S. Augustini in Diœcesi Paderbornensi**

Probus, Johannes

Monachij, 1731

VD18 12260568

Caput XVII. Quòd satis prudenter campestribus indaginibus munivit suum
Monasterium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64645)

C A P U T XV.

De miraculo quomodo cæca puella per intercessionem B.

Meinulphi visum receperit.

Restat adhuc unum miraculum (quod sub regimine tertij Prioris per intercessionem B. MEINULPHI contigit) dignum ut exponatur : Erat quædam mulier in oppido Salzkotten , cujus filia amborum oculorum visu privata fuit , & dum mater ejus ob hoc plurimum tristaretur , sanctum MEINULPHUM humiliter in-
clamavit , ut ipse Dominum DEUM pro filia sua dignaretur exorare , quod saltem unius oculi visum mereretur recipere . Qua in-
clama-
tione facta filia unius oculi visum recepit : Mater verò , quod sanita-
tem amborum oculorum non rogasset , dolens ait in hæc verba : **O**
si pro visu amborum oculorum sanctum MEINULPHUM invocassem ,
utique ambos oculos sanos impetrasset.

C A P U T XVI.

De quarto Priore Monasterij B. Meinulphi.

Postquam Daniel tertius Prior prædicti Monasterij ab Officio sui Prioratus fuerat absolutus , Venerabilis Frater Henricus von dem Stalle Anno Domini 1424. à Conventu eligebatur in Priorem , qui dum vocatus & introductus fuit , ipse more spiritualis viri capit cum Fratribus Chorum continuè frequentare , ea etiam quæ sui status erant , & Officij medio tempore ad hoc vacante diligenter trutinare.

C A P U T XVII.

Quod satis prudenter campestribus indagibus munivit suum Monasterium.

Hic dum inter alia malum patriæ statum animadverteret , ac Monasterij sui redditus tenues & exiles , insuper quod omnino necessarium foret , ut Fratres pane proprijs manibus parto sustentarent.

stentarentur, videretque in non exiguum sui Monasterij detrimentum, quod militares quam plures ac etiam terræ spoliatores & vastatores quasi communi via per campos Monasterij sibi transitum consuetum usurparent, hospitiumque circa Fratres ipsis etiam invitis & hoc habere nolentibus, sæpius in damnum acceptarent; propter quæ (quemadmodum Neemias, cum destructam Jerusalem restaurare vellet, jumento insidens extra civitatem gressum fecit, immunitaque loca, quomodo firmiter reparari deberent, diligenter animadvertit) ita prædictus Prior DE O' inspirante foris ad campos ac sylvagia circum circa suum Monasterium situata, una cum Menlone de Wevere strenuo militari, & Joanne Saxone viro experto equester incescit, & ubi, quomodo prædictum Monasterium ab hostium incurſu muniri deberet, considerando perspexit, de consilio quorundam militarium, qui sui Monasterij speciales fauctores esse non destiterunt, indagines fortes (quibus vicina Monasterij prædia circumdaret) facere cepit, & perfecit. Quibus peractis eadem indaginum munitio in tantum patriæ placuit, quod oppida in vicino posita, Geseke scilicet & Salzkotten similiter & villæ propè Almam se per prædictas indagines satis bene munita considerantes, adjutricem manum (ut dicta munitio magis firmaretur, ac etiam augmentaretur) virili animo porrigebant. Videtur ergo in præſenti, quod prædicta munitio Paderbornensi Diœcesi multum utilis in hac parte existerit, nam antequam prædicti Regulares Monasterium Bøddecense inhabitare ceperunt, antedicta oppida & villæ circa Almam situatæ damna plurima ab inimicorum incurſione pertulerunt: sed Regularibus præfatum Monasterium inhabitantibus, atque illud indaginum munitionibus vallantibus de cætero pax non parva prædictis locis collata fuit: ex quibus certitudinaliter conjecturari potest, si prædicti Regulares ad sæpè dictum Monasterium inhabitandum non adventassent, verisimile esset, quod propter malum patriæ statum non solum prædicta oppida usque in præſens maxima damna pertulissent ab hostibus, sed & omnes prædictæ villæ circa Almam sitæ magnæ ex parte forſan desolatæ essent, insuper & præfatum Monasterium in solitudinem jam redactum esset, factumque jam habitatio sylvestrium bestiarum.

CA.